...g. Albr.

...ensis

Direcp. Colleg. Scholar. Piar. Coronatrix reg...

Poloniae Cracoviae.

CORONATRIX
REGUM POLONIÆ
CRACOVIA,
DUM

in primo ad Cathedram suam ingressu

CAPUT
MERITISSIMUM

CELSISSIMI, ILLUSTRISSIMI, & REVERENDISSIMI DOMINI

D. GEORGII
ALBRACHTI
COMITIS A
DONHOFF

Sacri Romani Imperij Principis,

EPISCOPI CRACOVIENSIS,

DUCIS SEVERIÆ,

Præsuleo-Ducali Mitrâ coronaret,

CORONATA.

Applaudentibus tanto Actui

Dioecesanis Scholarum Piarum Collegijs.

ANNO REGIS REGUM, M. DCCI.

CRACOVIÆ, In Offic: NICOLAI ALEXAN: SCHEDEL S. R. M. Typ.

Honorem titulis dedit, dum accepit.

Polonus Orator in Paneg: Lipsij.

CELSISSIME PRINCEPS.

SI unquam evidentiori probatum argumento, quàm liberaliter munificus cælorum favor, longis expectationibus mortificata, soletur desideria, hodie certè constitit apertissimè; postquam Te nobis tot suspirijs expetitum, tot votis imploratum PRÆSULEM destinavit. Viximus diu orphani sine Capite, absq; Pastore oves, absq; Principe orbitatem nostram tædiosi querebamur populi: disrupto MALACHOWSCIANÆ nexu FASCIÆ im-

patientes hærebamus, quo lugubres ſingultus, & decumanam lachrymarum ab oculis detergeremus tempeſtatem. Indoluimus ad ſuccisam fatali ſecuri DAMBSCII ARBOREM, & ſub cuius umbrâ ſvave expectabamus reclinatorium, eidem intrà breve ſatis ſpatium cum folijs decuſſæ parentare debuimus dolore funebrali. Sed tantùm hodie geſtimus gaudijs, quantùm antè mœſti, optatiſſimo adventu Tuo omnium corda ſerenante. Refunditur planctus ſolatijs, amænitate diſſipatur tædium, diuturna orbitas vultûs Tui fruitione recompenſatur. Habet jam metropolitanus honor quibus ſecurè incumbat humeris, habet præclariſſimus Capituli huius Coronarum ternio Caput, habet Ducalis Mitra verticem meritiſſimum, habet Præſuleus Tiaras tot Infulis exercitam frontem, habet Cracovia deſideratum Hoſpitem, quem è gentilitijs ſuis Turribus diu proſpectabat. Scilicet in hoc ampliſſimo Diœceſeos Tuæ orbe nihil eſt, quod auſpicatiſſima inauguratio Tua ad ſenſum lætitiæ non permoveat. Coronas hìc præcelſas Domos, ipſe avito ſanguine Illuſtriſſimus; auges lætitiâ

tiâ

tiâ tot Divorum basilicas Antistes Devotissimus; animas Clerum, vigilantissimus; doctas solaris Athenas, eruditissimus; in spem meliorem erigis subjectum populum, Princeps optimus; omnium denique præstolantia superas vota, cùm omnibus major advenisti. Et quidni major advenias? sive enim ab origine magnitudinem Tuam æstimamus, sive juventutem præstantissimis excultam studijs metimur, sive antecedaneos honores consideramus, sive labores per suprema Regni ministeria probatos revolvimus, seu deniquè virtutum insignia veneramur, ita ubiq; emines, ut quamvis maximis admoverere purpuris, omnibus esses, uti præsenti es, pro coronâ atq; ornamento.

Patere hunc encomiorũ Tuorũ terminũ; & quia infimus est, Celsitudinis Tuæ accusa sublimitatem, quæ nostram tenuitatẽ depressit. Ita enim quibusvis oratoribus ubiq; occurris ingens, ut de Te non possint, nisi humili dicere charactere. Patritium nempe Capitis Tui decus, etiam præsentissima confundit ingenia; præacuti Apri DONHOFFIANI dentes, & calamorum, & frontium hebetant

acumina. Idcircò infra laudum Tuarum proportionem dictum esse supponito, quidquid dicere attentabimus.

In supremo honoris apparere culmine, atq; supra aliorum capita dignitarijs elevari ascensibus, etsi non ijs tantùm fortuita sortis concessit dispensatio, quos claritudo generis proximos Iovis collocavit lateri, injuriam tamen augustus fascium apex reputavit, si quãdo illis deferatur, quos nec meritorum, nec altioris sanguinis commendavit privilegium. Potuitnè cæcus Fortunæ livor graviùs Romano illusisse populo? quàm dum ei postpositis tot Patritijs, in domo plebeia natum Marium præfecit Consulem; eò sanguinis sitientiorem nobilis, quò magìs ignobiliter natum. Videlicet non tam Sidonio murice, quàm verecundo rubore suffunduntur trabeæ, si illis injiciantur humeris, quos aut nullus, aut exiguus antecessorum splendor tanto gestamini fecit candidatos. Et quamvis prærogativa virtutis neminem à templo excludat honoris, pulchriùs tamẽ Tyrius color rutilat, ubi illustriori flãmâ patritiæ splendescũt cæræ. Dic mihi cur tantâ majestate in Iu-

lij

lij, atq; Augusti vertice imperialis radiavit tænia? ut in adorationem Romani nominis orbem accenderit universum; dic, quare ille ipse splendor Quirinæ gloriæ in Commodis, Helvijs, & Maximinis Thracibus adeò diminutus? nisi quod illi magnorum decora natalium junxerunt splendoribus majestatis, isti nec generis, nec virtutis insignibus coruscârunt. Nempe pucherrima est reciprocatio, dum & illustris honor candidato, & candidatus honori affundit serenitatem.

Quando ad Tuos natales is Ducalis mitræ decor, quem hodie capessis refringitur, omninò fateri debet, quòd illi nihil debeas; cùm à Tuis domesticis splendoribus tantùm lucis recipit, quantùm conferre nititur; imò plus recipit, quàm confert: nihil enim confert, quod vel Tui Aborigines non hæreditârunt, vel propriæ virtutis & meritorum respectu non possedisti PRINCEPS CELSISSIME. Offertur Tibi Ducalis tænia; sed hæc per Avorum Tuorum rotata verticem, inter DONHOFFIANA decora agit inquilinam: datur ternio Coronarum, at Diadematū non inscia DONHOFFIORVM

Origo Don HOFFIANÆ Domûs.

Capita; quorum Origo è Sanguine Regum Aragonicorum, Lusitanorumq; ante integrã sæculorum decadem promanavit: tribuitur cum Ducali gladio jus quoddam independentis à Majestate potentiæ; inter Præsuleos ascensus suprema curulis, tertius à solio regali apex. Sed quid novi inter hanc titulorũ seriem recepisti? Viditnè aliquando gloriosissimos Atavos Tuos, seu dum è regnis Hispanicis in Franconiam, è Franconia in Germaniam, ex Germania in Livoniam, hinc in Poloniam transeundo, orbem implent factis immortalibus. Viditnè sæculũ aliquod non maximos? Invidendo illos exoticis regionibus, primùm ad se per SIGISMUNDUM AUGUSTUM invitavit Sarmatia; tam parvo tẽpore, quàm magna hìc, & innumera egerũt! quàm altas curules, meritis pro gradu utẽdo, possederunt! Palatinas, Derpatensem OTTO, cujus dexteritati unitos sibi Livones semper adscribet Polonia; Vendensem THEODORVS, fulmen, & strages Cruciferorum; Parnaviensem ERNESTVS, Svetici Leonis domitor, & ad Chocimum, sub triumphali STANISLAI LUBOMIRSKI Clavâ, contra

Atavi, Proavi, Principis Nostri.

super-

ſuperbas Oſmani vires egregius ductor legionum, & HENRICVS refractariæ compreſſor Livoniæ: Pomeranam, GENEBRARDVS, legationis munere pro LUDOVICA GONZAGA ſumptu magnifico, & expenſis verè principalibus orbi clarus; & GERARDVS clade Svecorum in Thorunienſibus arvis memorandus; & VLADISLAVS qui poſt Viennenſia trophæa cùm ardore bellico incenſus fragmenta Aſiaticarum virium, & ereptum fugâ victori gladio Vezyrium perſequitur, ad Strigonium heroicâ occumbens morte, defenſæ Chriſtianitati vitam dedit in victimam: Mariæburgenſem, ERNESTVS, notus utriq; ſoli ob Kałuſſięſes, Zorawnenſes, Chocimenſes, & Auſtriacas laureas. Caſtellanas, Vitepſcenſem, CHRISTOPHORVS, qui ultra Balthidis littus proterviam Svecorum ulciſcens, in coronamentum Patriæ triumphalia decerpendo ſerta, hoſtibus taxos plantavit funebrales. Quæ non poſteritas, quæ non mirabitur ætas FRIDERICVM Ducatûs Lithvanici Subdapiferum? tantus ille militari ſcientiâ fuit, ut à Friderico Electore Brandeburgico

 invi-

invitatus, Supremus Electoralis militiæ Generalis constitutus, meruerit tot bellorũ Imperator à gente extera adorari, audiriq;. Sic CAROLVS Venator Siradiensis cùm in altissimâ tunc Poloniæ pace immortale nomen venari nequiret, sub Imperialibus Aquilis, Mõtecuculli, & Susa Ducibus, ea gessit, quæ grata tantis facinoribus posteritas non cessabit prædicare. Sic HENRICI legionum pedestrium Generalis fama, in bellis Sveticis, Moschoviticis, Vkrainensibus, Scythicis acquisita, eò excurrit, quò solet maximorum. Sic HERMANNVS invictâ animi fortitudine Threijcijs furoribus ultra regni limites occurrendo ad Cecoram cæsus, non tantùm ZOŁKIEVII Ducis in laudes suas linguam animavit, verùm & secuturis annis eam de se loquendi injecit obligationem. Taceantur tot Arcium Præfecti Koscierzycenses, Duneburgenses, Starogardenses, Wielunenses: non refodiantur THEODORI Regni Poloniæ supremi Succamerarij, Regum VLADISLAI, IOANNIS CASIMIRI, MICHAELIS, IOANNIS Tertij, fidissimi Ephæstiones, hos enim meliùs in adamantinis tabulis

ad

ad omnium ætatum notitiam exaravit æternitas: non memorentur VLADISLAI Lithvaniæ Ducatûs Thesaurarij; non notentur ALEXANDRI Abbates Pelplinenses, & Andreovienses; non vocentur in angustias paginæ istius GASPARES Palatini Siradienses Avi Tui, qui magnæ legationis ad FERDINANDUM tertium Romanorum Imperatorem, & VRBANUM Octavum fascibus insignes, tam gloriosè spartam suam obiverunt, ut illis non licuerit absq; Principali Mitrâ redire in Patriam. Vnum duntaxat dicamus IOANNEM CASIMIRVM Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, Episcopum Cæsenæ, Abbatem Claræ Tumbæ, & satis grande documentum DONHOFFIANÆ magnitudinis, admiraturæ exhibemus posteritati. Quibus hic virtutum radijs eluxerit? facilè concludere est, si consideretur par esse miraculo, Polonum aliquando apud exteros promotum. Apud nos quàmprimùm alienigenæ fixerunt pedem, illicò antiquos centones honorarijs permutant togis; muscipulis venditis, opimas capiunt fortunas; jam Comites aut Barones, apud se bubulcorum socij;

Cardinalis DONHOFF.

cij; beneficijs pingues, in patriâ fame morituri. Polonorum hæc infelicitas est, quòd non sint nisi in Polonia apti gradui altiori; Polonorum inquam! qui & nobilitate generis, & libertatis privilegio, & indole ad omnia summa pares in orbe non inveniunt; extrà patrios limites capacitas sterilescit. Perfregit nihilominùs, perfregit feliciter istam in gentem nostram duritiem eximia virtus Tui Patruelis, vi meritorum, ut validissimo usus ariete; expugnavit ultralimitaneorum pertinaciam; tamq; fortes virtutum præmissas posuit, ut etiam caput orbis Roma concluserit; Polonum extra Poloniam esse dignum infulato honore. Sedit ergo inter Purpuratos Ecclesiæ proceres absq; externis promotionibus; adlectus in Senatum Apostolicum, sine Monarcharum nisu, & molimine; occupavit Cæsenatem Cathedram, INNOCENTII Vndecimi voto, altiùs evehendus, nisi Evectorem militanti Ecclesiæ triumphans rapuisset. Vixisset hactenus! videret orbis quòd non satìs erat DONHOFFIO in Cardinalitio murice vitam terminâsse. Præreptus Ecclesiæ, & votis rectè sentientiũ maturiùs acceptus,

ceptus, quòd cælo tantæ virtutes quàm terrâ digniores viderentur; forsitan huc collineantibus Superis, ut cùm unius DONHOFFII merita non æquè dum viveret, coronâssent, in altero, Te videlicet PRINCEPS CELSISSIME defectum compensent remunerationis, ijs Te destinando fascibus, quibus ille coronatus decessit. Et verò injuria foret ingentibus ejus meritis, si saltem in proximo non coronarentur sanguine. Quamvis enim illa jam cælo integro compensata, adhuc tamen à terra præstolātur gratitudinem. Quibus & ego prolixiori suadâ gratificarer, nisi illam in sui admirationem raperet SIGISMVNDVS DONHOFF CAPITANEVS SOKALIENSIS PARENS TVVS GLORIOSISSIMVS, PRINCEPS CELSISSIME. Egit ille tantùm solus in rem Patriæ, quantùm incubuit universis; egit in illa ferali belli Cosatici procellâ tam generosè & providè, tam zelosè & constanter, ut parùm ei grata posteritas testaretur, si antiquis Scipionibus conferret & Metellis. Vt viveret Patria, vitam ijs objiciebat periculis, quæ nemo præter se auderet involare. Parens Principis.

Vacillabat Polonorũ robur, animabat; crescebat rebelli ſubdito audacia, obſiſtebat; cedebant ſuorum agmina, pudorem fugitivis obijciendo, ſiſtebat; cadebant imparibus vires, ſuccurrebat; & miles, & ductor, & aggreſſor, & repreſſor ſtrenuiſſimus. Si illi tunc altius Martis gubernium permiſiſſet ille diſcors belli adminiſtrandi triumviratus, non ita ſuperbiviſſet ruſticus Chmìelnicij ſpiritus; vertiſſet tergus ex acie Bellonæ ruricola bellator; mutâſſet in aratrum chalybem, quem per ſummum nefas in colla exacuerat Dominorum.

Sed quid ego bellicos Parentis Tui ſudores exaggero? quaſi novã in Domo DONHOFFIANA commendaturus actionem; id memorare debueram, quod nulla ætas & memorare, & admirari ceſſabit. Cùm enim ad eam infelicitatis aleam perventum eſſet, ut aliter Coſatici belli tempeſtatem edomare non poſſemus, hinc creſcente in dies rebellium numero, & eligente potiùs in dominos ſævire, quàm ſervire contumaciſſimâ plebe; indè adjuvante Scythico furore nefarios ruſticorum auſus, niſi temperato in ſubditos

domi-

dominio ; & quæ priſtino jugo nequivimus colla inſolentis populi ſubijcere, amicâ ſponſione, & promiſſis dulcioribus ad meliorem frugem flectere intenderemus ; tamen conſcium patrati ſceleris vulgus etiam ſic delibutum, ebrium Polono ſanguine ferrum deponere recuſaret, donec mutuis pignoribus, & dato utrinq; obſide, fides illibata fæderum ſtabiliretur : vidimus Parentem Tuum inter tot cunctatores ſinè cunctatione ſeſe Mediatori Scythæ pro expetito obſide victimantē. O! factum ad perennem ſæculorum inſtructionem factis æternitatis inarandum! ô animum nullis pro Patria ſatiatum periculis! ô heròém nulli Athenienſiū Codro, nulli Romano Scævolæ comparandum! Non ſatiſnè Tibi fuit in tot exantlatis prælijs vitam prodigere? non ſatiſnè intrepidi pectoris oppoſitione hoſtile ferrum hebetare? non ſatiſnè diſpendio profuſi ſanguinis Polonæ fortitudinis reſarcire diſpendia? ſatis alijs ; non DONHOFFIO. Detinebant alios præmeditatæ inter gentem Tauricanam vivendi rationes ; retrahebant, jam indigitatos a Rege, moleſtiæ viarum, non ſecura cum barba-

ris ſocietas, & nutans ad minimum ventum Vkrainæ fides; Te nec juſti pavores, nec amicorum conſilia, nec privatæ deceſſus fortunæ, nec liberorum teneritudo retraxerunt. Cùm jam veteranus, & gloriæ militaris ſatur, ſecurus parti nominis, potuiſſes baltheū deponere, non ſolùm id non attētâſti, verùm ultrà meriturus de Rege & Patriâ, ſponte in corona tunc cataphracti ad Zborovum Senatûs, dixiſti: *Mandato Principis, & amore Patriæ, non tantum in Boſphorū Thracicum, ſed & remotæ Perſidis oras adſum perrecturus.* Avitæ libertatis tuiturus pretium, liberè captivitatem ſuſcepiſti. Quàm informidati in oculis Tuis fuerint truces Scytharum vultus demonſtrâſti, verſari inter eos non paveſcens. Vbi alij poſt operoſa Martis negotia exutum militari galeâ caput ſub pacali reponunt olea, Tu inter pharetratos Gelonos vigilios elegiſti. Cùm mortem inter tot ſævos Gradivi conflictus invenire nequiviſſes, aliter vitam ducere recusâſti, ſi non in obſequio boni publici conſummandam. Neſciunt videlicet aut vivere, aut mori DONHOFFII, niſi gloriæ & uti-

litari

litati Patriæ: sive togæ, sive sago annos consecrēt, ubiq; ita extraordinarij factis, ut quod alibi sparsim collectum censetur inter magnalia, hic propter domesticam magnitudinem, nihil magnum putetur, nisi sit maximū. Et inde est, quòd nullum unquam notabis DONHOFFIVM, cui sit satis magnorum Antecessorum jactare gloriam; quilibet hic propriâ clarescere virtute, & factis extendere nomen connititur; raròq; visum, ut Pater Illustris Filium non relinqueret Illustrissimū; Avus bellax bellicosissimū Nepotem. Hinc togati splendores in Domo DONHOFFIANA perpetuâ catenantur serie; nec facilè inuenies annum, quo Senatoriâ non fulgeret trabeâ DONHOFFIVS: imò aliquot interdum subsellia regni occupabant. Gemini quidem nunc estis inter Patres, Tu PRINCEPS, & FRATER TUUS ILLUSTRISSIMUS, & EXCELLENTISSIMUS CASTELLANUS SIRADIENSIS. Gemini estis, sed omnibus numeris absoluti: In Tui enim unius humero tam securè aureæ libertatis moles conquiescit ILLUSTRISSIME CASTELLANE, ut nunquam securiùs in brachijs lacertosi Atlantis cælestes sphæræ. Illustr. D. Castellan. Siradiensis

E Scisso

Sciſſo olim in partes diverſas, & poſt privatos reſpectus abeunte Senatu Romano, fatalem periodum præſagivit Reipublicæ Cato; fortaſſe quod neminem è Proceribus univerſalis boni tam ſtudioſum videret, qui magìs Romæ, quàm ſibi conſulere vellet; at intraret nunc ille ſuperciliosus Cenſor Polonam Curiam, & viſis Tuis ſtudijs, quibus publico bono Te impendis, feliciùs certè rebus noſtris ominaretur, poſtquam Tu ſepoſitis Domûs & amicorum curis, adeò univerſali cōmodo animum conſecrâſti, ut non Tibi ſed Patriæ natus eſſe videaris. Non perpendis, quot, & quid? poſt, vel ante Te dicturi ſunt; non examinas, utrùm ſenſus Tui partialibus adverſentur intentis; placiturusnè an diſpliciturus ijs, quibus extra cor amor communis utilitatis, ea profers quæ decent virum, promoves, quæ obligant Senatorem. Felix Patria! ſi plures ejuſmodi zelo ſuccenſos numeraret Flaminios, jam hucuſq; omnibus expedita perplexitatibus, frueretur conceſſæ pacis dulcedine. Sed erit tempus quo plures curules poſſidebunt DONHOFFII; habebit AVGVSTVS NOSTER id inter cu-

ras regni solatium, dum illi absq; scrupulo, & anxijs deliberationibus licebit in DONHOFFIORVM humeris tot multiplicare purpuras. Maturescit huic fortunæ, & respectui par, ILLVSTRISSIMVS STANISLAVS DONHOFF VENATOR DUCATûs LITHVANIÆ. Iam sibi illum diversi prætendunt murices, iam magna regni invitant ministeria. Indulsit illi naturæ genius tam excelsas animi dotes, ut omnibus dignus, & proximus omnibus videatur. Æstimavit satis tantam indolem magnus ille æstimator subjectorum IOANNES Tertius; æstimatam plusquàm Capitaneali Koscierzycensis Præfecturæ ornâsset prærogativâ, si vel Promovẽdi ætas permisisset, vel invidus fatorũ livor annos Promoturo concessisset. Quid dicam de ILLUSTRISSIMO COMITE à DONHOFF INCISORE LITHVANIÆ, Generali exercitûs Regiæ Majestatis? quid proferam de ILL: GUBERNATORE VRZĘDOVIENSI? quantis isti adolescunt fascibus? In unam quondam Fabiorum Domum tantùm Fortunæ liberalitas invexit titulorum, quantùm in emeritos præmiorum numerabat Roma. In Celsissimam

Venator Ducatus Lithvaniæ.

DONHOFFIORVM Domum dispensatrix Majestas tot invehet murices, quot sunt in Polonia maximi; jam Palatinos & Castellanos, jam Ducales Clavas, & signatorias gemmas offerendo; ut notet orbis, tam esse omnium capacem, quàm omnes meritam: capaciorem adhuc notaturus, si viderit tot Præclarissimarum Domorum per affines nexus splendoribus amplificatam.

Non satìs quippè erat Antecessoribus Tuis è Regio Sanguine traxisse originem, nisi etiam Celsissimis Familijs juncti latiùs radiarent; ut nihil esset inter Europæas Domos magnificum, ad cujus illi magnificentiæ non venirent participationem. Orbaverat cælum OPALENIÂ Conjuge GERARDVM, illum contra diversos Patriæ hostes infractū Herculem, Capitaneum Koscierzycensem, sed rependit orbitatem iterato Hymenæo destinans in Sociam vitæ GEORGII DUCIS BRIGENSIS FILIAM, Piasteæ Stirpis adhuc tunc inextinctam scintillam, SERENISSIMI IOACHIMI PRINCIPIS BRANDEBURGICI NEPTEM. Cum hac quæ immensitas gloriæ DONHOFFIANIS invecta Penatibus? ille facilè

Colligationes.

cilè enarrabit, qui novit quot sæcula Piasti in throno exegerunt Polono ; qui expendet quid sit, & cui nexa solio, vel cui non nexa in orbe Domus Brandeburgica? Quòd si hæc obsoleta, & à nostrâ ætate longinqua æstimantur, Tu ipse PRINCEPS CELSISSIME magnum DONHOFFIANÆ Consangvinitatis esto argumentum. Habuisti enim Proavum Maternum ZBIGNEVM OSOLINSKI Palatinū Sandomiriensem; habuisti Avum GEORGIVM OSOLINSKI natum ANNA FIRLEIOWNA Palatinide Cracoviensi, Mareschalcide Regni, Supremum Regni Poloniæ Cancellarium; cui omnis ætas, omnis naturæ conatus similem, nè dum parem, producere desperavit; Virum, quem tota Europa admirata, nunquàm prædicare desistet. Habuisti AVIAM ISABELLAM FILIAM NICOLAI DANIŁOWICZ SUPREMI POLONIÆ THESAURARII, & ANNÆ VCHANSKA PALATINIDIS BEŁZENSIS, Sororem Patruelem THEOPHILÆ FILIÆ DANIŁOWICZ PALATINI RUSSIÆ, & ZOŁKIEWSKA Cancellaridis Regni; quæ THEOPHILA IACO-

Avus Maternus.

Avia.

F BO So-

BO SOBIESKI Castellano Cracoviensi dedit Filium, Poloniæ REGEM, Europæ Atlãtem, fulmen Asiæ, Christianitati Clypeum Salvatorem, inimico occasum Orienti, IOANNEM TERTIVM. Habuisti denique

Mater. MATREM ANNAM TERESSIAM SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPEM, DVCEM IN OSOLIN CANCELLARIDEM REGNI, neptem illius THEOPHILÆ, Sobrinam Sororem ter Serenissimi, ter Invictissimi REGIS IOANNIS TERTII, AMITAM SERENISSIMORVM, POTENTISSIMORVMQVE PRINCIPVM IACOBI, CVNEGVNDÆ ELECTRICIS BAVARIÆ, ALEXANDRI, & CONSTANTINI. In tantâ cum Regali Clypeo propinquitate quidquid per Imperia, & Regna luminum est, complecteris. Miscētur domesticis Tuis splendoribus Neoburgici, annumerantur Bavarici, & per hos Augustissima Austriacorum decora accensentur. Præterea si adhuc in aciem OSOLINIANÆ Asciæ mētis aciem verteremus, pergeremusq; ab ipso usq; Lecho Domûs istius (sub diversis quidem denominationibus, sed

non

non interruptâ lineâ genesis) descendentia recitare nomina; ingentia profectò orbi proponeremus volumina, ex quibus disceret, OSOLINIOS non tantùm antiquitate, verùm etiam gestis in Regno munijs triumphare. Sed nota scientibus narrare non expedit. Monstrantur satis graphicè inter docta monumenta historicis descripti calamis; leguntur & in Vobis velut in vivis relucentes iconibus Magni Magnorum Antecessorum Successores. Vtriq; Vos statui, tam civili, quàm Ecclesiastico Fortunæ destinavit exdivisio, ut haberetur, qui tam Purpuratos, quàm Infulatos præsentaret. Symbolico quidam vexillo insculpta Majorum insignia hoc illustravit lemmate; *Nomina magno fero*. Optimè fecerit, quicunq; id Tibi trāscribere non dubitabit, MAXIMILIANE OSOLINSKI VEXILLIFER DROHICENSIS, qui ad formā gloriosorū Avorū institutis moribus, illos quasi animatos præfers, præferesq;, postquam ijs invectus curulibus, in quibus illi gloriam assecuti immortalem, apparebis. Prodidisti, quàm altis subsellijs adolescis IOANNES OSOLINSKI; si juvenis capax

OSOLINSKI Vexillifer Terræ Drohicensis.

Witoviensis Insulæ inventus, quas non mereberis Tiaras, cùm Tibi venerit maturior ætas? Vidimus, dum adhuc inter umbras Scholasticas versabaris, futuræ Tuæ Magnitudinis indices, ubi non magis Gentilitiæ Asciæ, quàm ingenij acumine commendatus, nobis ipsis audientibus, ad hanc divinationē literariam juventutem provocâsti: FORE TE PAREM GEORGIO illi OSOLINIO. Spectabis hujus juvenilis augurij infallibilē effectum PRINCEPS CELSISSIME; videbis, ut Tuis manibus Episcopali inunctus muneri, ibit gloriosus athleta, quò Tu præcessisti; postquam videris, tunc palàm fiet, omnes esse debere ad summa natos, qui DONHOFFIIS proximi; nec DONHOFFIOS proximos, nisi summis. Et verò Patritiū APRI Tui CAPUT non absimile in primis fundandæ Carthaginis principijs invento, quod posteà tantam apud Incolas religionem meruit, ut non nisi triumphātes Duces, aut meritissimi Cives illud in templo repositum permitterentur pretiosis mactare donis; cum & Tui Capitis insigne tantùm Præclarissimarum in Polonia Domorum re-

vinci-

vinciant clenodia. Exornat illud gemmeus LVBOMIRSCIORVM Srzeniava; debuccinant Ducales RADIVILIORVM Tubæ; decorat KACCIANVS Cervus; illustrant SŁVSZKARVM Lunæ; annulo ex ore pendente, coronat LESZCZYNIORVM Vrus; BRZOSTOWSCIORVM, POTOCCIORVM, LIPSCIORVM, OLSZEWSCIORVM, ZALVSCIORVM, DVNINORVM Illustrissimæ accendunt Ceræ. His Tu irradiatus, nonnè satis ad quævis adipiscenda culmina habes suffragij? cùm olim Scipio solâ ostensione Avorum optimè de Republicâ meritorum, Romanum adeptus Consulatum. Satis haberet quivis alius, non Tu; qui nôsti benè, quàm pulcherrimus ascensus ille, cui propria virtus gradus ministravit. Malè successit Icaro, paternis alis evolanti; & quidquid alienâ arte ac studijs exaltatum, aut risui, aut ruinæ, aut invidiæ patet. Hinc Tu nihil Avorum, nihil magnæ Consanguinitatis debiturus respectibus, proprio nisu ad hoc usq; dignitatis supercilium eluctaris, quod meritis excedendo, coronas, dum occupas. Dives Consanguinitas

alias

aliàs Coronarum, & Coronatorum VAVELVS pretiosius diadema nunquam habere potuit, quàm Te habēdo ANTISTITEM; qui præter domesticas Mitras, quibus Te ipsa nascendi decoravit felicitas, præter tot Ducum Colligatorum cidares, & Regias Coronas, quibus Te affinitatis nexus ornavit, Coronâ Meritorū, quæ omne superat obryzū, es redimitus.

Quodsi diutiùs expectata, dum evenerūt, abundantiùs coronant Vota expectantium, dulciusq; beavit mentem, quod omnino beare debuit; quâ ergo beatitudine demulsisti Cracoviam ANTISTITVM DESIDERATISSIME? Quæ Te multis annorum decadibus præstolata, hodie demùm pleno amplexu salutavit Pastorem. Præstolata inquam, quia nec illa alium hoc tempore Præsulem habere debuit, nec Tu alterius, quàm Vrbis Metropolitanæ ANTISTES. Ipsius enim naturæ Tuæ dotes, & excelsa mentis attributa, ad quævis maxima Te destinantia, vix satis æstimata forent, nisi primis hiscè in Polonia vittis revincirere. Vnde quàmvis illæ per Prædecessorum Tuorum colla volveren-

verentur, jam Tuum CAPVT attingebant, olim Tuæ futuræ. Ipsa enim infantia Tua destinatum ad ferendas Tiaras verticem, nec cunis, nec fasciis quivit occulere; primaq; vitæ aurora meridiem honorum præsagivit. Pusillo adhuc corpore spes Patriæ impleveras, ut Tibi ab inde de magnis jam inciperet cogitare parãdis ascensibus. Æqualem cum Principe Astrorum ortum sortitus fueras; vix natus, demonstrâsti lucis futuræ augmenta. Alibi ætas tenera impedimentum ponit magnæ indoli, Tu ita annorum teneritudinem maturâsti, ut nihil præferres puerilis, præter staturam. Maturus enim eras, antequam tempus maturescendi attingeres; in pueritia adolescens; Vir in adolescentia. Prævenisti canos morum gravitate; corporis parvitatẽ animi excellentiâ compensâsti. Vix in pulvere stetisti Olympico, illicò quos Tibi sors aut pares, aut superiores obtulit, præcucurristi ad laureas. Nullus erat tam pernicis ingenij, qui se Tibi absq; timore amittendæ paritatis conferre resolveret, cùm omnes victorem sperarent, si in æqualem cum ijs athleticam descendisses. Descendebant tamen, hoc e- Studia Principis Nostri.

 molu-

molumenti ex eo relaturi agone, quòd tanquam Lydio lapide probarēt penes Te, quid illis deesset. Ideò omnibus pro calcare habebaris, cum pudor censeretur ijsdem Tecū contineri tectis, & segnes notari. Non erat opus ut ludimagistri in coathletas Tuos aut verbis detonarent, aut verberibus, Tua illis sagacitas pro tonitru fuit; nec tam disciplinæ rigor inter classicas velitationes timebatur, quàm ne Tibi ignavi viderentur. Multi propterea habuere pro comperto, quòd Tuo exemplo magìs proficerent, quàm assiduitate Professorum. Tantùm facit ad egregios progressus, solers æmulus! Plùs quandoq; juvit ad profectum, uno quadrāte inter excitatos stetisse, quàm integro lustro cum desidibus. Sic generosus sonipes cum generosis ad metam cursurus, vivaciùs passus glomerat; inter ignavos friget, & calcaribus premi patitur; aliàs vix habenis coërcendus. Felix Magister cui Tu obtigisti discipulus! si Magistrum habere dicendus es, & non potiùs capacitatis Tuæ admiratorem. Quid enim Te docuisset, qui priùs omnia complexus videbaris, quàm docereris? Nutus; & primis ide-

is for-

is formati Professorum conceptus, satis Tibi erant ad instructionem; lingua non nisi ad deprædicandam Tuam aptitudinem requisita. Quod alij per insomnes noctes, ad lucernas, & accensos cereos percipere vix valebant, id Tu ludendo percepisti, ipsa studia habens pro distractione mentis. Si anterioribus natus fuisses ætatibus, abjecisset Chiron Achillem, Macedonem Aristoteles, Honorium Arsenius; pugnassentq; inter se de sorte Tuæ institutionis.

Postquam capacitatis Tuæ famâ Patriam occupâsti, ivisti sub cælum exoticum, quò plures magnæ indolis nanciscereris spectatores. Ivisti ijs instructus moribus, ijs commẽdabilis talentis, ut ultralimitaneus oculus quoties Te vidit, toties admiratus, quòd & sub frigido septemtrione in tam tenero corpore spiritus maturescant. Puduit tunc externũ fastum facti in Polonos sarcasmi, quasi nemo nostrûm quidquam haberet in se imitandi, quod ex illis non didicerit; quando Te viso, invenit quod disceret, atq; imitaretur in Polono. Fæcunda est & Polona tellus, producit illa non sterilia virtutis subjecta. Non

ita ſumus in hanc ſeptemtrionis plagam à DEO projecti, ut non habeamus, quod nobis exteri invideant: in hoc tantùm ab illis distincti, quia tenaciùs virtuti addicti, vitia coloribus neſcimus palliare, ut linguâ candidi, ita corde ſinceri; & genio, & ingenio cæteris gentibus non inferiores. Et ut ſine læſione veritatis dicam, omnia iſta abundè abſq; jactatione poſſidemus, quæ longinqui poſſidentes nimio faſtu attolluntur, quaſi ſoli poſſiderent. Adjeciſti huic veritati evidentiſſimum ſuffragium PRINCEPS CELSISSIME, dum in ſepticolli Vrbe tam benè formatus cõparuiſti, ut nihil in Te deſideraret, præter id, quod fueris Polonus, non terrigena. Talis enim illuc veneras, quaſi jam totum orbem peragraſſes; ita in rebus tractandis gravis, in gravitate amænus, in amænitate ſincerus, in ſinceritate cautus, & quidquid hominem rectè compoſitum facit, in Te relucebat. Et quamvis tot tantisq; naturæ chariſmatis coruſcares, ita nihilominùs momenta peregrinationis Tuæ æſtimabas, ut nihil otio, totum utilitati tempus conſecrares. Vnde inviſebas templa, luſtrabas baſilicas,

Exteræ Nationes.

monu-

monumenta antiquitatis obſervabas, & quocunq; demùm Auſonia primatum ſibi in mũdo prætendit, ſeriò trutinâſti. Nihil erat in ædibus Divorum rari, nihil in palatijs extraordinarij, nihil in ſtructuris admirandi, in picturis venuſti, quod non perpenderes; nihil in ſtatu politico arcani, in aulis Principum notãdi, in moribus gentium præcipui, quod non reſcires, reſciendo pulchris diſcurſibus reflecteres, reflectendo conſervares: arbitratus, deformiſſimum eſſe, ſi more viatorum orbes exotici permeentur, qui præter aut peritiam, aut difficultates itinerum evitandas, nihil cogitant, tales domum redituri, quales exivere; imò pejores redituri, quando nec Patriorum tenaces morum, nec exterorum periti; nec Hiſpani, nec Galli, nec Angli, nec Itali, nec deniq; Poloni; nec ſago, nec togæ apti; profuſis Parentũ ſudoribus, diſſipatâ inter leves ſubſtantiâ luſus, ſatis ſe politos cenſent, dum ad ſpeculum benè comptis capillis, ſimiliores molli ſexui, quàm viris, fuco delibutam faciem, proh æterne pudor! & tinctas oſtentant genas. Hinc Tu PRINCEPS CELSISSIME inter primas habui-

ſti

ſti curas, diſcolos & inferiores Te vitare, eorumq; ambire conſortium, quos ſupra plebē naſcendi dignitas, & virtus collocavit. Nemo Te niſi inter penetralia Principum obſervavit, ubi quò frequentior, atq; familiarior ſteteſti, eo dignior acceptione viſus, nihil detrahens authoritati aſſiduâ Tui communicatione. Seu Te inferres curiæ Purpuratorum Eccleſiæ Patrum, ſeu inter Infulatos compareres, ubiq; ſic eminuiſti, ut Tibi nihil deeſſet ad paritatem eorum, cum quibus verſabaris, præter ſtaturam & annos. Multorum tunc præſagio jam eras PRÆSVL, jam Regni Miniſter. Si quando propiùs acceſſiſti illam Eccleſiaſtici Senatûs majeſtatem, refractus muricis rubor ad Tuos humeros ſignabat illud præſagium. Iam tum Romana Aula pro Te meditabatur literas, jam parabat ſigilla, jam cogitabat encomia, quæ bullæ inſereret, quãvis adhuc Regias nominationes juvenilis ætas prohiberet. Omnia iſta omina tam feſtinè ſecutus eſt fortunatus eventus, ut Tecum ipſe luctari debueris, cui priùs honori lacertũ concederes, cum ſimul à multis invitareris.

Vix enim è regnis peregrinis redux fau-

ſto

ſto pede ſolum libâſti patrium, jam Te Poſnania, jam Cracovia Prælatum, jam Witovia Abbatem, jam Præpoſitũ exambivit Petricovia. Ne alicui parti Poloniæ injurius eſſes, tam Majorẽ, quàm Minorẽ ſuſceptione munerum contentâſti. Cujus opinionis de Tua integritate Major fuerit? oſtendit, dum Te ſacrorum Arbitrum in Areopago Petricovienſi eſſe voluerit. At penes ſacram Themidis ſtaterã inventus es altioribus par Cathedris, poſtquam IOANNIS TERTII judicio à Petricovienſibus aris, ad Camenecenſem Tiaram tranſiîſti. Eclipſatus tunc ſol Podoliæ objectu Threijcij ſideris, ad nuncium iſtius famæ adeò reſplẽduerat, ut pluribus cum cæleſti Phæbo radijs, ſqualidas illas barbaricâ captivitate oras, ſerenârit. Mahometanâ tyrannide oppreſſus populus, quoddam ſub jugo ſenſit levamen. Tecta ipſa Divis Tutelaribus ſacra, & aræ turpiter à furore gentilium proculcatæ, quaſi ſensûs capaces inſolitâ hilaritate è profanis impiorum ſordibus eo die proſpexerunt, quo Tu Infulato jubare conſecratus radiâſti. Vide PRINCEPS! ſi exaltationis Tuæ ſolummodò rumor tanto

Prælaturæ.

Infula Camenecenſis.

 gaudio

gaudio affecit Podoliã, quo non diffluxisset, si Te illi cælorum inscrutabilis dispensatio facie ad faciem videre permisisset? Observâsses in Tuo introitu populi exultantis tripudia, audîsses tam festivas acclamationes, ut refractæ ad surdas Cameneci rupes, cælo significarent triumphalem Tuam inaugurationem. At negavit illis hanc felicitatẽ Superûm ordinatio, ne Te moraretur ad altiores iturum Infulas; vel nè solo titulo Camenecensium vittarum sterilesceres, admotus es alijs quæ nisi Tibi obtigissent, vix æqualem invenissent Antistitem. Post ZBASCIANÆ virtutis documẽta non diu Polona Majestas meditata, cui Premisliense offerret Pedum; Tua capacitas in aprico fuit, quòd posses vigilãtissimi Prædecessoris adæquare sanctitatem. Qualiter hoc ad gratitudinem erga Regnatorem obligavit ZBASCIANAM Fasciam, quòd ei non alius præter Te successor destinatus, patuit ex Eucharistico Sermone, quo pro Varmiensi Mitrâ gratificabatur Majestati. Auget enim gloriam præcedentium, si non quivis ad eorum successionem elevetur. Nè iners atq; ignavus post Nervam solium imperiale

Premisliensis.

preme-

premeret ſucceſſor, omnem is movit lapidẽ, aditum parando ad thronum Traiano Optimo. Quouſqꝫ Conſulares faſces aut Maximis Fabijs, aut Magnis Pompeijs Roma præferebat, eouſqꝫ Conſules velut terreſtria numina adorati; poſtquam hæc ſuprema poteſtas cæpit per indigniſſimas Clodiorum volutari manus, ad eam abjectionem decidit, ut plurimis oblata, à plurimis quandoqꝫ ſpreta, mẽdicare debuerit Candidatos. Quotquot Tibi præiverunt in Premiſlienſi Cathedra, PRINCEPS CELSISSIME, ſeu pietate conſpicui, ſeu Paſtorali vigilantiâ indefeſſi, ſeu dignitate Senatoriâ inſignes, ſeu eruditione cõmẽdati, ſeu zelo immunitatis Eccleſiaſticæ fervidi Præſules, nullius in Te vacillavit cõmendatio, quia omniũ virtutes ad vivum repræſentâſti. Probavit id apertiſſimè in Te præclarus Epiſcopalium attributorũ cenſor IOANNES TERTIVS, quando humeros Tuos præter Præſuleam purpuram, alterâ etiam, quaſi utriqꝫ cælo ſuffecturi Atlantis, oneravit, Annulum Regni Signatorium, & dexteræ & dexteritati Tuæ conſignando. Inter tot hujus muneris competitores, Tu nec

Annulus Regni Major.

 petens,

petens, nec æmulus ambientium, omnibus prælatus, effecisti virtute, ut nemo sibi victus, aut postpositus Te victore videretur. Et vero hæc Tua electio ut plures, sic ipsius quoq; Regnatoris superavit votum, cùm ille Te aptum judicavit, Tu aptissimus extitisti. Si Dijs ita volentibus precariæ restituti vitæ illi Magni ZAMOYSCII, OSOLINII, LESZCZYNII, & quos orbis in hac muneris suspexit statione, Tecum de laude gesti magistratûs in certamen descenderent, diu pro certò decisionē palmæ expectarent, cum par omnibus, & in omnibus appareres. Nihilo enim Te, nisi solâ prioritate temporis præcesserunt; eadem Te siquidem erga solium commendat fidelitas, idem libertatis illustrat zelus, eadem legū ornat custodia. Illi in judicando justi, Tu justissimus; in dicendo circumspecti, Tu circumspectissimus. Deniq; quidquid illi ad hanc officij altitudinem rectè obeundam pedetentim per minores gradus eundo, & diuturno Vice-Signaturæ usu aptitudinis collegerunt, Tu omnem statim absq; prævijs huic muneri functionibus, simul, & semel SVPREMVS ostendisti CANCELLARIVS;

quæ

quæ eò major in Te requisita, quòd illi tantùm vel bellicosorum Regum, vel tantùm pacificorum; & quorum intẽta sola circumspiciebat Polonia, Ministri; Tu Regis & bellacissimi, & Sapientissimi, & cujus motum omnem orbis considerabat universus, IOANNIS inquam TERTII; Regis, in quo summa omnia; Regis, in exemplum regibus dati; Regis, cuius unius vocem Orientales extimuerunt potentiæ; Regis inquam, cor & mentem explicare debuisti; quibus explicandis vix par, post excessum è vitâ divini illius WIELOPOLSCII, inventus foret, nisi Te indulgentia Superûm destinasset evulgandis, tam convenienter & integrè, quàm Regnator optavit; tam ponderosè & svaviter, tam cultè & sapienter, ut ipse Cicero ad agendũ similiter longo se probâsset tempore, quod Tu non præmeditatè, & nec sperans aliquãdo præstitisti.

Dum verò è propriâ statione in Senatu dicendum erat, fundebas non verba sed oracula; exosus illam in promẽdis sensibus formam, quam multi sectantes, nihil ad aures deferunt audientium, nisi phaleratam verbo-

K rum

rum luxuriam; eligentes potiùs à recto ſenſu declinare, quàm ab inſtitutione Rhetoricâ: quaſi idem foret Patriæ conſulere, & cultarũ phraſium copiam oſtentare. Tu PRINCEPS CELSISSIME, non tam Scholaſticâ inſtillatione, quàm rei tractandæ argumento inſtructus, ne minimum quidem jota protuliſti, quod ad publicam non faceret ſalutem; eò cultiùs locutus, quò connaturaliùs momentum rei expendiſti. Illa ſententiarum gravitas, ille inaffectatus verborum apparatus, illa vultûs gratia, illa vocis moderatio, in fronte nullius perturbationis notæ, ſed ſincerus animi candor: in geſtu ſvavitas, & totius corporis mira quædam concinnitas, faciebant, ut ſi, per impoſſibile loquendo, voluiſſes aliquid proferre obiter, non poteras, niſi perſuadere. Vnde contigit ſæpènumerò, ut idem ſenſus ab alijs prolatus hucuſq; minus fidei, & roboris in animis conſulentium ſortiretur, donec exploratum foret, Te idem ſentire. Felices ergo erant cum quibus Tu eandem affirmativam, vel negativam tenebas, ſecuri enim erant & à Majeſtate voti approbandi, & à nemine irritandi.

Nec

Nec mirum Te ejus auctoritatis inter Patres extitisse, cùm palam omnibus foret, nihil unquam à Te dici, quod illibatus boni publici amor priùs dicendum non dictasset. Acceptus eras in dicendo, quia nihil accepisti, ut diceres; eò semper collineans, quò veritas, non quò nociva legi, & Regi provocabant studia. Carior apud Te aureæ libertatis integritas, quàm promissa aurea. Maluisti in hoc passu videri pertinax, & quasi inhumanus, quàm flexibilitate in leges sanguine Majorum partas, in jura, quibus velut adamantinis cardinibus communis salus nititur, in fidem, quâ Te purpuram accipiens obstrinxisti, peccare. Ajebas, importunas prensatorũ retorquens suggestiones: ita Te signatorio Regni Annulo veritati mancipatũ, ut ne unguem latum ab ejus orbitâ posses deflectere. Vnâ manu Pedo Episcopali, alterâ Lechicæ Volucri datâ, nossent Te ad capiendum quævis munera incapacem. Ejus esse indolis Polonã Aquilã, ut offas istas generosâ aspernatione dedignetur, quæ redolent privatum interesse. Ducantur istiusmodi illicijs minores accipitres; aliti meæ hæc obsunt obsonia.

Ideo me Rex, & lex supremũ esse voluit Cancellariũ, ut infra me essent omnes damnosi respectus. Scio benè, quòd *libertatem nemo bonus, nisi cùm vitâ amisit.* Quantam mihi inurerem notam, si libertatem meam alienæ traderem voluntati, & subirem tam durã servitutem, ut nec linguæ liceret dicere, quod mens rectitudinis amans meditata.

Et quamvis Tu in omni vita alienus à privatis obligationibus, maximum tamen integritatis Tuæ eluxit specimen in illo post IOANNIS TERTII fata scissi Regni turbine, cùm neutri parti ita tenaciter adhæsisti, ut boni communis penitùs exutâ curâ, post propriũ abires velle. Stetisti inter disunitas animorũ propensiones medius, soli addictus Patriæ, quamvis nunc ab hac, nunc ab illa parte trahereris, grande alicui firmamentum accessurus. Tu verò omnia prærupta exosus consilia, non priùs suadentium cessisti desiderijs, antequam hîc, & ibi exploratis arcanis, benè prævideres ubi Patriæ utilitas, ubi legum amor, ubi cæli destinatio. Novit optimè AVGVSTVS SECVNDVS quantum felicissimæ illius inaugurationi adjecisti suffragium;

um; ſed non minùs novit Patria, quid Tibi debeat, quòd illi adhæſeris, quo nec meliorem optare, nec glorioſiorem habere potuit. Quidquid enim ſub auguſtiſſimis illius auſpicijs felicitatis capiet, quidquid ex conclusâ pace cum inimico Oriente utilitatis experietur, quidquid triumphorum de hoſtibus brevi decantandorum audiet, quidquid in recuperandis avulſarum Provinciarum finibus lucri & gloriæ reportabit, Tu magnam partem laudis participabis, eò quòd non niſi Tuo acceſſu firmata, hunc & non alium coronavit. Vidimus enim poſtquam aggreſſus es iter Cracoviam, quàm multi relictâ ambiguitate, ampliùs non dubij quò ſe verterent, Tua ſecuti veſtigia. Spectavimus, ut plurimorũ in adversã partẽ inclinatæ volũtates, de ſuis rebus deſperare, incepta damnare conſilia, ad unionem redire, paci ſtudere, evaginatos in bellum civile gladios vaginis recondere, æmulationes ſopire inceperũt. Notavimus, ut æmulum ad diadema Caput, perſpectis Tuis intentionibus, ampliùs non de throno, ſed reditu cogitavit: ut miles in neutralitate perſiſtens, abſq; cunctatione ivit in Auguſti

 ſuffra-

ſuffragia: ut nullus dubitavit illum futurum Regem, quẽ Tu adorâſti. Tibi itaq; adſcribet poſteritas, quòd non diutiùs Polonia inter ſciſſionis naufragia fluctuaverit, quòd in cruentos conflictus non deſcenderit, quòd tali Regi coronam detulerit, cujus vel ſolo nomine armata, ſuperbos Aſiæ conatus ad perpetuæ fœdera pacis impulerit, apud finitimos magis formidanda apparuerit, adeò ut quod olim inter novitates cẽſebatur, ab exoticis Coronis legatione præveniri Sarmatiã, jam nunc quotidianum ſit, tot Legatis Regiam ambiri, tot promiſſis ad amicitiam invitari, tot obligationibus ad conſervationem priſtinæ pacis pertrahi, à Turcicis, & Germanicis, à Gallicis, & Sveticis, à Danicis, & Moſchoviticis, à Scythicis, & Hollandicis, à Sabaudicis, & Valachicis, & Brãdeburgicis uno tempore eodemq;. Scilicet non habet jam Roma quo ſe ferat altiùs, & ſibi inde prætendat faſtum, quod ſub Auguſto à toto orbe habitaretur, id deſiderante quovis ſub ſole angulo, ne ignarus foret, quid Octavianus cogitaret, in quas partes animum verteret; cùm & Polonia ſub AUGUSTO SECUNDO ad illud

obſer-

observantiæ venit fastigium, ut à Maximis in orbe Principibus diligentissimè cōsideretur, ac si esset in illa potentiæ auge constituta, ad cujus molimina, exterorum status sua debebant regulare negotia.

Tam longus meritorum Patriæ, & Regi exhibitorum syllabus, non sineret alium sinè pruritu accipiendi præmij vivere; ingereret tædium diversis fatigato obsequijs, ejusdem subsellij occupatio; Tu in pristino gradu sic pacatâ mēte perstitisti, ac si nihil egisses, cùm omnia egeris immortalitate dignissima. Videbas ante Te plurimos elevari, præmaturæ elevationi applaudebas; intuebaris quòd Tuæ virtuti debitus honor alijs tribuebatur, non movebaris; inconcussam Romani Civis secutus generositatem, qui maluit posteritati quærendum relinquere, *Cur non sunt erectæ Catoni statuæ;* cum fuerint juremeritò erigendæ? quàm post acceptos honores multos ad disquirendū provocare, quâ virtute titulos possedisti? quæ facta præmijs præmisisti? Non est saltus triumphalis, si ex uno in alium dignitatis gradū saliatur, absq; laborum medio. Etiam extra antiquos Ro- Mitra Cracoviensis.

manorum ritus sacrilegiũ est, templum Honoris adire, non visitato Virtutis. Nec quisquam nævum laudatissimæ Tuæ modestiæ appinxerit, ex præsentis Mitræ acceptione, cùm de illa nec numerum competitorum introiveris, nec fortasse Regali suffragio morẽ gessisses, nisi praxi facere præjudicium metueres, quæ ejusmodi labores, ut sunt Tui, Cracio Tiarâ redimire consuevit. Quid enim Tibi prodesset inordinato affectu altiores expetere Infulas, qui ita Premisliensi conspicuus atq; eminens fuisti, ut nihil CELSITVDINI TVÆ altera plùs adderet, etsi daretur suprema. Illis dũtaxat effreni passione ambire sublimiora innatum, qui meritis, & virtute Pygmæi; Tu Giganteâ rectefactorum mole excelsus, sic è mediocri loco ingens spectabaris, quomodò alij ex supremo. Quemadmodum alta cedrus, seu in Libani supercilio, seu in convalle patulos explicuit ramos, staturam non minuit; humiliũ vertex myricarum, quamvis in Olympo plantẽtur, nihil nativæ adijcit parvitati. Deniq; ad appetendos istos Tiaratos decores inflammare Te non potuit copiosior censuum respectus, nec

Domûs

Domûs cura ditandæ, qui ſemper adeò juratus hoſtis avaritiæ extitiſti, ut nihil magis oderis, quàm corraſum Plutum in arcis captivare: perſvaſus optimè, prorſus indignum eſſe Viro Principe facinus, ad egeſtatem aliorũ velle diteſcere, iterumq; abditis ſcriniorũ tenebris aureum incarcerare fulgorem, quem magnis ſudoribus è montium viſceribus conatus egeſſit foſſorum. Et certè iſtud eſt, quo ſe Principes ultra vulgarem provectos demonſtrant ſortem, dum alios poſſunt felices reddere; & quidquid in illos opulentior ſparſit fortunæ manus, in alios viciſſim, ut optimi diſpenſatores, partiuntur. Maris proprietatem habeat, qui perfectum Principem circumferre deſiderat: ſuſcipiens illud immenſa flumina, iterum diſtribuit; iſte niſi larga felicitatis munera ad indigentium neceſſitatem diſpenſet, ſcylla erit, quæ dum plura navigia abſorbuit, in plura ſorbenda inexplebiles aperit fauces: vel vigil ad poma Heſperidum Draco, quæ nec ipſe guſtat, nec alijs permittit guſtanda. Quotquot Tuo lateri permiſiſti adſtites PRINCEPS OPTIME, omnes velut ad aram Fortunæ admiſſi videbantur;

 bantur;

bantur; nemo à Tuis obſequijs receſſit mœſtus, nemo querulus, quia omnibus viam aut ad felicitatem aperuiſti, aut actu felices effeciſti. In Tuo famulatu morari idem erat, quod ad majora fortunæ munera factum eſſe candidatum. Prodidit hoc rerum ſuarum nimia amplificatrix antiquitas, omnes qui ſtipendia ſequerentur Alexandri Macedonis, hoc ipſo pares effectos, ut belli Imperatores fierent; rectiùs ego id felicitatis munus Tuæ Aulæ attribuero, unde velut è Spartana palæſtra tot emerſerunt viri, qui jam vel Officijs per Rempublicam clari, vel in generalibus Regni congreſſibus pro publica immunitate zeloſi, vel à Regnatoribus ob egregia animi documenta æſtimati. Neq; enim Tu quenquã lateri Tuo adhærere permitteres, niſi Patriæ commodo utilis ſperaretur. Si verò aliquando Tibi importuna ſupplicatione aliquis intruderetur, cui vel naturæ vitium, vel educationis defectus capacitatem ad idoneos actus denegavit, impoſſibile, ut tam nativos nævos, quàm obtuſos non perpoliret mores, videndo Te exquiſitiſſimis ornatum ſtudijs; tam politicis, quàm ſacris diſciplinis

eximi-

eximium, eruditione cultiſſimum, cultu Numinis imitandum, in Eccleſia ſanctum, domi exemplarem, in rebus agendis ſerium, in perplexis prudentem, in facilibus præſentem, in difficilibus generoſum, in inceptis conſtantem. Quibus omnibus ſi vellemus panegyricum texere, ſingulis loco encomij injuriam faceremus, cum nulli æquè laudando ſufficeremus. Habent manifeſtum laudationis documentum à REGNATORE AVGVSTO. Ille virtutes Tuas, & pulcherrima animi probavit attributa, dum Cracovienſi Mitrâ coronavit. Fuerat enim antecedentibus ſæculis, quòd ille melior videbatur, qui plùs largitori honorum largitus; nunc cùm iſta exulavit nundinatio, cùm ſola virtus non nummus, divus non dives meretur favorem; quàm meritus eſſe debueras, dum abſq; vanis iſtiuſmodi auxilijs ad præſens evadis faſtigium. Quia verò iſtud citiùs occupare meruiſti, compenſabunt dilationem faventiſſimi Superi; hucuſq; Tibi annos extendendo, donec decori Eccleſiæ, utilitati Patriæ, & noſtro voto ſatis

VIXERIS.